

et consentiebant. Inter quos adjunctus est ei etiam dominus Hugo Matisconensis, nobilitate et probitate morum, possessionibus et divitiis sæculi ampliatus : qui hodie merito religionis et sanctitatis suæ, raptus a Pontiniacensi, cœnobio, quod ipse ædificavit, Autissiodorensi Ecclesiæ præest, merito et honore Pontificis (16\*). Hic audiens de conversione socii et amici charissimi, flebat quasi perditum, quem sæculo mortuum audiebat. Ubi autem primo data est utrique facultas mutui colloqui, post dissimiles lacrymas, et gemitus dissimilium dolorum, verba verbis cœperunt conferri, et res rebus comparari. Cumque inter ipsa verba familiaris amicitiae Hugoni infunderetur spiritus veritatis, aliam jam faciem habere cœperunt verba mutæ colloquutionis. Datis itaque dextris in sodalium novæ vitæ, longe dignius veriusque facti sunt cor unum et anima una in Christo, quam in sæculo ante fuissent.

14. Post paucos autem dies nuntiatur Bernardo, subversum ab aliis sociis Hugonem, a proposito resiliire. Qui opportunitate inventa, quod magnus quidam episcoporum conventus illis in partibus haberetur, festinat ut revocet pereuntem, iterumque parturial. Observantes autem prædicti sodales et subversores Hugonis, viso eo, prædam ambiunt suam, et omnem ei loquendi adimunt facultatem, omnem aditum intercludunt. At ille, cum ei loqui non posset, clamabat pro eo ad Dominum : quo orante cum lacrymis, subita et vehemens inundatio pluvie mox erupit. Considerant autem in campo, quod aer serenus esset, et nil tale sperarent. Dispersi igitur omaes ad repentinum imbrem, vicum proximum petunt. At Bernardus Hugonem tenens : « Mecum, » ait, « sustinebis hujus pluvie guttas. » Cumque soli remansissent, non fuerunt soli, sed Dominus fuit cum eis, reddens eis continuo et aeris et animi serenitatem. Ibi renovatum est fœdus et propositum confirmatum, quod non potuit deinceps violari.

15. Videbat ista peccator, et irascebatur, dentibus suis fremebat et tabescebat; justus autem confidens in Domino gloriose de sæculo triumphabat. Jamque eo publice et privatim prædicante, matres filios abscondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant; quia voci ejus Spiritus sanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret affectus. Crescente siquidem numero eorum qui in hanc conversionis unanimi- tatem consenserant, sicut de primitivis Ecclesiæ filiis legitur : *Multitudinis eorum erat cor unum, et anima una in Domino* (Act. iv, 32), et habitabant unanimiter simul, nec quisquam aliorum audebat se conjungere eis (Id. v, 42, 43). Erat enim eis Castellioni domus una propria et communis omnium, ubi conveniebant, et cõhabitabant, et colloquebantur, quam ingredi vix aliquis audebat qui non esset de cœtu eorum. Sed et si quis intrabat, videns et audiens **1069** quæ ibi gerebantur et dicebantur,

(16) Hugo III, ex primo abbate Pontiniacensi antistes creatur an. 1135.

sicut de Christianis Corinthiis Apostolus dicit, omnibus quodammodo prophetantibus convincebatur, ab omnibus, dijudicabatur ab omnibus; et adorans Dominum, et confitens quod vere Deus esset in eis (I Cor. xiv, 24, 25), aut ipse unanimi eorum adhærebat, aut recedens flebat semetipsum, illos autem beatificabat. Hoc enim illis temporibus et in illis erat partibus inauditum, ut alicujus adhuc in sæculo commorantis conversio præsciretur. Ipsi vero quasi mensibus sex post primum propositum in sæculari habitu stabant, ut proinde plures congregarentur, dum quorundam negotia per id temporis expediebantur.

16. Cum autem jam suspecta inciperet esse multitudo, ne quem de numero eorum subriperet is qui tentat, placuit Deo super hoc revelare quid futurum esset. Aspicebat enim quidam eorum in visu noctis, et videbat quasi eos omnes consedis in domo una, et per ordinem singulos quasi communicare de cibo quodam miri candoris et saporis : quem cæteris omnibus optime suscipientibus, et cum gaudio magno, duos ex omni numero illo notabat a cibi illius salutaris participatione vacuos remansisse. Alter namque eorum nec sumebat; alter sumere quidem videbatur, sed tanquam minus caute sumeret, spargebatur. Utrumque vero postea probavit eventus. Alter enim, priusquam ventum esset ad rem, conversus retrorsum in sæculum rediit; alter cum cæteris cœpit quidem opus bonum, sed non perfecit. Vidi ego eum in sæculo postea vagum et profugum a facie Domini sicut Cain, quantum avertentem potui, hominem humillimum, et miserabilis confusionis, sed nimie pusillanimitatis. Qui tamen in ultimis Claram-Vallem rediit infirmitate corporis et inopia cogente, cum homo bene natus ab omnibus cognatis et amicis projiceretur : ibique proprietati renuntians, sed non omnino propriæ voluntati, obiit, non quidem intus, sicut frater et domesticus, sed foris misericordiam postulans, sicut pauper et mendicus.

17. Jam vero adveniente die reddendi voti et complendi desiderii, egressus est de domo paterna Bernardus, pater fratrum suorum, cum fratribus suis, filiis suis spiritualibus, quos verbo vitæ Christo genuerat. Videns autem Guido primogenitus fratrum suorum Nivardum fratrem suum minimum, puerum cum pueris aliis in platea : « Eia, » inquit, « frater Nivarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ. » Ad quod puer non pueriliter motus : « Vobis ergo, » inquit, « cœlum, et mihi terra? Non ex æquo divisio hæc facta est. » Quo dicto abeuntibus illis, tunc quidem domi cum patre remansit, sed modico post evoluto tempore fratres secutus, nec a patre, nec a propinquis seu amicis potuit retineri. Supererat de Deo dicata domo illa pater senior cum filia, de quibus etiam suo loco dicemus.

18. Eo tempore novellus et pusillus grex Cisterciensis sub abbate degens, viro venerabili Ste-

phano, cum jam graviter ei tædio esse inciperet paucitas sua, et omnis spes posteritatis decideret, in quam sanctæ illius paupertatis hæreditas transfunderetur, venerantibus omnibus in eis vitæ sanctitatem, sed refugientibus austeritatem; repente divina hac visitatione tam læta, tam insperata, tam subita lætificatus est, ut in die illa responsum hoc a Spiritu sancto accepisse sibi demus illa videretur : *Lætare, sterilis, quæ non pariebas; erumpe et clama, quæ non parturiebas : quia multi filii deserte, magis quam ejus quæ habet virum* (Isai. lvi, 1); de quibus postmodum visura es filios filiorum usque in multas generationes. [Nam anno priore uni ex eisdem Cisterciensibus primis fratribus in extremo jam posito, apparuit innumera hominum multitudo prope basilicam, ad fontem lavans vestimenta sua : et in ipsa visione dictum est ei, quia fons Ennon vocaretur. Quod cum indicasset abbati, intellexit protinus vir magnificus divinam consolationem : et multum quidem jam tunc de promissione, sed plurimum postea de **1070** exhibitione lætatus, egit gratias Deo per Jesum Christum; qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. (17)]

## CAPUT IV.

*De ingressu Ordinis, et fervore novitiatu. Quam parvus cibi et somni; cupidus quoque laboris externi; deque ejus miro in sacra Scriptura profectu.*

19. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo decimo tertio, a constitutione domus Cisterciensis quindecimo, servus Dei Bernardus annos natus circiter tres et viginti [al. duo et viginti], Cistercium ingressus, cum sociis amplius quam triginta, sub abbate Stephano, suavi jugo Christi collum submitit. Ab illa autem die dedit Dominus benedictionem, et vinea illa Domini Sabaoth dedit fructum suum, extendens palmites suos usque ad mare, et ultra mare propagines suas. [Quia vero ex prædictis sociis ejus uxorati aliqui fuerant, et uxores quoque cum viris idem votum sacræ conversationis inierant; per ipsius sollicitudinem ædificatum eis cœnobium sanctimonialium feminarum, quod Julleium (17\*) dicitur, in Lingonensi parochia, Domino cooperante, magnifice satis excrevit, usque hodie religionis opinione celeberrimum, et personis ac possessionibus dilatatum; sed et propagatum jam per loca alia, et non cessans adhuc ampliorem facere fructum.] Hæc quidem fuere Viri Dei conversationis sancta principia. Conversationis autem ejus insignia, quomodo vitam angelicam gerens in terris vixit, neminem enarrare posse puto, qui non vivat de spiritu, de quo ille vixit. Solius quippe donantis et accipientis est, nosse quantum ab ipso mox conversationis exordio prævenerit eum Dominus in benedi-

(17) Hæc inter uncinos inclusa ex ms. sunt de sumpta.

(17\*) Aliis *Juliacum*, vulgo *Jully*, quem locum Milo Barri comes cœnobio Molismensi concessit, « ut religiosis deserviret feminis sub ordinatione Molismensis abbatis : quibus ad regimen sui, tam

stionibus dulcedinis suæ; quanta repleverit gratia electionis; quomodo ab ubertate domus suæ inebriaverit eum. Ingressus est autem domum illam pauperem spiritu, et eo adhuc tempore absconditam ac pene nullam, intentione ibi moriendi a cordibus et memoria hominum, et spe delitescendi et latendi tanquam vas perditum; Deo aliter disponente, et eum sibi in vas electionis preparante, non solum ad Ordinem monasticum confortandum ac dilatandum, sed etiam ad nomen suum portandum coram regibus et gentibus, et usque ad extremum terræ. Ipse vero, nil tale de se æstimans aut cogitans, potius ad custodiam sui cordis, et propositi constantiam, hoc semper in corde, sæpe etiam in ore habebat : « Bernarde, Bernarde, ad quid venisti? » Et sicut de Domino legitur, quia *cœpit Jesu facere et docere* (Act. i, 1), a prima die ingressus sui in cellam Novitiorum, ipse cœpit agere in semetipso quod alios erat doctorus.

20. Postmodum enim cum Claræ-Vallis abbas esset ordinatus, adventantibus novitiis et festinantibus ingredi, audire eum soliti sumus prædicantem ac dicentem : « Si ad ea quæ iustus sunt festinatis, hic foris dimittite corpora quæ de sæculo attulistis : soli spiritus ingrediantur; caro non prodest quidquam. » Quod cum novitiis ad novitatem verbi perterritis, parcens teneritudini eorum, elementius exponendo, carnalem concupiscentiam prædicare solebat foris dimittendam : ipse cum novitius esset, in nullo sibi parcens, instabat omnimodis mortificare non solum concupiscentias carnis, quæ per sensus corporis fiunt, sed et sensus ipsos per quos fiunt. Cum enim jam interiore sensu illuminati amoris dulcius ac frequentius sentire inciperet desursum spirantem sibi suavitatem, sensui illi interiori timens a sensibus corporis, vix tantum eis permittebat, quantum sufficeret ad exterioris cum hominibus conversationis societatem. Quod cum continui usus instantia in consuetudinem mitteret, consuetudo ei ipsa quodammodo vertebatur in naturam : totusque absorptus in spiritum, spe tota in Deum directa, intentione seu meditatione spirituali tota occupata memoria, videns non videbat, audiens non audiebat; **1071** nihil sapiebat gustanti, vix aliquid sensu aliquo corporis sentiebat. Jam quippe annum integrum exegerat in cella Novitiorum, cum exiens inde ignoraret adhuc an haberet domus ipsa testudinem, quam solemus dicere cælaturam. Multo tempore frequentaverat intrans et exiens domum ecclesiæ, cum in ejus capite, ubi tres erant, unam tantum fenestram esse arbitraretur. Curiositatis enim sensu mortificato, nil hujusmodi sentiebat; vel si forte aliquando eum contingebat videre, memoria, ut dictum est, alibi occupata non advertebat.

corporum quam animarum, quatuor deputati erant monachi per abbatem Molismensem. » Hæc acta sub Guidone abbate, sub anno 1115, ad quem Bernardi epistola 80, ex charta apud Cuthbertum. De Julleio iterum infra, num. 30.

Sine memoria quippe sensus sentientis nullus est.

21. Natura quoque in eo non dissentiebat a gratia, ut in eo quoque quodammodo impletum videretur esse quod legitur: *Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam; et cum magis essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum* (Sap. viii, 19, 20). Ad contemplanda quippe spiritualia quæque seu divina, cum gratia spirituali, naturali quadam virtute pollebat ingenii; sortitusque etiam in hoc erat animam bonam, sensualitatem non curiose lascivam, nec superbe rebellem, sed congaudentem spiritualibus studiis, et in eis quæ ad Deum sunt, sponte subditam spiritui et servientem: corpus etiam nullius unquam contaminatum consensu flagitii, etsi neglectum minus [al. non nimis neglectum], sicut oportebat, curaretur, ad serviendum spiritui in servitio Dei aptissimum instrumentum. Sed cum caro in eo ex dono prævenientis gratiæ, et adjutorio subsequenti naturæ, et usu bono spiritualis disciplinæ, vix jam aliquid concupisceret adversus spiritum, hoc est, quod spiritum læderet; spiritus supra vires, supra virtutem carnis ac sanguinis, tanta adversus carnem concupiscebat, ut infirmum animal cadens sub onere, usque in hanc diem non adjiciat ut resurgat. Quid enim dicam de somno, qui in cæteris hominibus solet esse refectionis laborum et sensuum, aut mentium recreatio? Extunc usque hodie vigilat ultra possibilitatem humanam. Nullum enim tempus magis se perdere conqueri solet, quam quo dormit, idoneam satis reputans comparationem mortis et somni: ut sic dormientes videantur mortui apud homines, quomodo apud Deum mortui dormientes. Unde etiam si quem forte religiosum in dormiendo seu durius stertentem audierit, seu minus composite jacentem viderit; patienter ferre vix potest, sed carnaliter cum seu sæculariter dormire causatur. In ipso namque tenem victum enuis somnus comitatur. In neutro enim ullam induiget corpori suo satietatem, nisi quod in utroque sumpsisse aliquid sat ei est. Quantum enim ad vigiliam, vigiliarum ei modus est non totam noctem ducere insomnem.

22. Porro ad comedendum usque hodie vix aliquando voluptate trahitur appetitus, sed solo timore defectus. Etenim comesturus, priusquam comedat, sola cibi memoria satiatus est. Sic accedit ad sumendum cibum, quasi ad tormentum. A primo siquidem conversionis suæ anno, seu egressionis de cella Novitiorum, natura ejus, cum teneræ nimis semper et delicatæ complexionis fuisset, jejuniis multis et vigiliis, frigore et labore, durioribus et continuis exercitiis attrita, corrupto stomacho, crudum continuo per os solet rejicere quod ingeritur. Quod si quid naturali decoctione digestum transfunditur ad inferiora, ibi nihilominus partibus illis corporis non minoribus infirmitatibus incommodis obsessis, non nisi cum gravi tormento egeritur. Si quid autem residuum est, ipsum est alimentum corporis ejus quaecumque, non tam ad

vitam sustentandam, quam ad differendam mortem. Semper autem post cibum quasi pensare solitus est quantum comederit. Si quando vel ad modicum mensuram solitam excessisse se deprehenderit, impune abire non patitur. Sed et usus parcimoniæ sic ei in naturam versus est, ut etsi aliquando corporalis sibi cujuslibet refectionis plus aliquid solito velit indulgere, vix possit. Sic autem ab initio fuit, inter novitios novitius, monachus inter monachos, spiritu validus, corpore infirmus: nil indulgentiæ circa corporis quietem seu refectionem, nihil remissionis de communi labore vel opere fieri sibi aliquando acquiescens. Cæteros namque sanctos esse arbitrabatur et perfectos; se vero sicut novitium **1072** et incipientem, nequaquam emeritorum perfectorumque indulgentiis et remissionibus indigere, sed fervore novitio, et Ordinis districtione, et rigore disciplinæ.

23. Propter quod communis vitæ seu conversationis ferventissimus æmulator, cum opus aliquod manuum fratres actitarent, quod seu minor usus ei, seu imperitia denegabat; fodiendo, seu ligna cædendo, propriis humeris deportando, vel quibuslibet laboribus æque laboriosis illud redimebat. Ubi vero vires deficiebant, ad viliora quæque opera confugiens, laborem humilitate compensabat. Et mirum in modum is, qui tantam contemplatione rerum spiritualium ac divinarum acceperat gratiam, circa talia non solum occupari patiebatur, sed et plurimum delectabatur. Sed mortificata, ut dictum est, sensualitate, cujus seu curiositate, seu infirmitate, in hujusmodi laborum corporalium distractionibus, perfectorum etiam quorumcumque mentes sæpe necesse est, etsi non intentione, certe memoria et cogitatione, ab interiore unitate spiritus aliquam pati dissolutionem: ipse privilegio majoris gratiæ in virtute spiritus simul et totus quodammodo exterior laborabat, et totus interior Deo vacabat; in altero pascens conscientiam, in altero devotionem. Laboris ergo tempore et intus orabat seu meditabatur absque intermissione exterioris laboris, et exteriorius laborabat absque jactura interioris suavitas. Nam usque hodie quidquid in Scripturis valet, quidquid in eis spiritualiter sentit, maxime in silvis et in agris meditando et orando se confitetur accepisse; et in hoc nullos aliquando se magistros habuisse, nisi quercus et fagos, joco illo suo gratioso inter amicos dicere solet.

24. Messis tempore fratribus ad secundum cum fervore et gaudio sancti Spiritus occupatis, cum ipse quasi impotens et nescius laboris ipsius, sedere sibi et requiescere juberetur, admodum contristatus, ad orationem confugit, cum magnis lacrymis postulans a Deo donari sibi gratiam metendi. Nec fefellit simplicitas fidei desiderium religiosi. Continuo namque quod petiit, impetravit. Et ex illo die in labore illo præ cæteris peritum se esse cum quadam jucunditate gratulatur: tanto in hoc opere devotior, quanto se in hoc ipso facultatem ex solo

Dei dono reminiscitur accepisse. Feriatus autem ab hujusmodi labore vel opere, jugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Ad orandum si se solitudo offerret, ea utebatur: sin autem, ubicunque, seu apud se, seu in turba esset, solitudinem cordis ipse sibi efficiens, ubique solus erat. Canonicas autem Scripturas simpliciter et seriatim libentius ac sæpius legebat, nec ullis magis quam ipsarum verbis eas intelligere se dicebat: et quidquid in eis divinæ sibi elucebat veritatis aut virtutis, in primæ sibi originis suæ fonte magis, quam in decurrentibus expositionum rivis sapere testabatur. Sanctos tamen et orthodoxos earum expositores humiliter legens, nequaquam eorum sensibus suos sensus æquabat, sed subiciebat formandos: et vestigiis eorum fideliter inhærens, sæpe de fonte unde illi hauserant, et ipse bibeat. Inde est quod plenus Spiritu, quo omnis sancta Scriptura divinitus est inspirata, tam confidenter et utiliter ea usque hodie, sicut Apostolus dicit, utitur *ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum* (II Tim. iii, 16). Et dum prædicat verbum Dei, quidquid de ea affert in medium, sic patens et placens efficit, et circa id unde agitur efficax ad movendum, ut mirentur omnes tam sæculari quam spirituali præditi doctrina, in verbis gratiæ quæ procedunt de ore ejus.

#### CAPUT V.

*De initio Claræ-Vallis, et vili victu primorum ibidem monachorum, deque ostenso divinitus ejus incremento.*

25. Cum autem complacuit ei qui eum segregavit a sæculo, et vocavit, ut ampliore gratia revelaret in eo gloriam suam, et multos filios Dei, qui erant dispersi, per eum congregaret in unum; misit in cor abbatis **1073** Stephani ad ædificandam domum Claræ-Vallis (18) mittere fratres ejus. Quibus abeuntibus ipsum etiam domnum Bernardum præfecit abbatem, mirantibus sane illis, tanquam maturis et strenuis tam in religione quam in sæculo viris, et timentibus et tum pro tenerioris ætate juvenutis, tum pro corporis infirmitate, et minori usu exterioris occupationis. Erat autem Clara-Vallis locus in territorio Lingonensi, non longe a fluvio Alba (18\*), antiqua spelunca latronum, quæ antiquitus dicebatur Vallis absinthialis, seu propter abundantiam ibi absinthii copiam, seu propter amaritudinem doloris incidentium ibi in manus latronum. Ibi ergo in loco horroris et vastæ solitudinis consederunt viri illi virtutis, facturi de spelunca latronum templum Dei, et domum orationis. Ubi simpliciter aliquanto tempore Deo servierunt in paupertate spiritus, in fame et siti, in frigore et nuditate, in vigiliis multis. Pulmentaria sæpius ex foliis fagi conficiebant. Panis, instar prophætiæ illius, ex hordeo et milio et vicia (19) erat, ita ut aliquando religiosus vir quidam appositum sibi in hospitio, ubertim plorans, clam asportaverit, quasi pro miraculo omni-

(18) Vide notas ad epist. 31.

(19) Vulg. l'Aube.

bus ostendendum, quod inde viverent homines, et tales homines.

26. At Virum Dei minus ista movebant. Summa ei sollicitudo de salute multorum, quæ a prima die conversionis suæ usque ad hoc tempus tam singulariter sacrum illud pectus noscitur possidere, ut erga omnes animas maternum gerere videatur affectum. Erat ergo vehemens in præcordiis ejus, sancti desiderii, et sanctæ humilitatis conflictus. Modo enim seipsum dejiciens, fatebatur indignum, per quem fructus aliquis proveniret: modo oblitus sui, æstuabat flagrantissimo ardore, ut nullam nisi ex multorum salute consolationem posse admittere videretur. Sane fiduciam charitas pariebat, sed eandem castigabat humilitas. Contigit autem inter hæc, ut aliquando temperius solito surgeret ad vigiliam. Quibus peractis, cum usque ad matutinas laudes aliquanto longius superesset noctis intervallum, egressus foras, et loca vicina circumiens, orabat Deum, ut acceptum haberet obsequium suum et fratrum suorum: et in eo quod diximus spiritualis fructus desiderio constitutus, subito stans in ipsa oratione, modice interclusis oculis, vidit undique ex vicinis montibus tantam diversi habitus et diversæ conditionis hominum multitudinem in inferiorem vallem descendere, ut vallis ipsa capere non posset. Quod quid significaverit, jam omnibus manifestum est. Hac igitur Vir Domini visione magnifice consolatus, exhortatus est etiam fratres suos, commonens eos de misericordia Dei nunquam desperare.

#### CAPUT VI.

*De magna ejus in angustiis erga Deum fiducia: deque zelo perfectionis, et conversione sororis.*

27. Cum vero ante instantem hiemem Gerardus frater ejus, cellarius (sic) domus, apud eum durius quæreretur ad necessaria domus et fratrum multa deesse, nec habere se unde ea coemeret, et urgente necessitate jam nullam verborum reciperet consolationem, res autem in promptu non esset quæ daretur; Vir Dei, quantum interim ad præsentem angustias sufficere posset, inquisivit. Ille vero undecim [al. duodecim] libras respondit. Tunc dimittens eum, ad orationem confugit. Post paululum vero rediens Gerardus, mulierem quamdam de Castellione foris esse, et velle ei loqui nuntiavit. Ad quam cum egrederetur, procidens ad pedes ejus eadem mulier, duodecim librarum benedictionem ei obtulit, orationum suffragia implorans viro suo periculose ægotanti. Quam breviter allocutus dimisit a se: « Vade, » inquit, « sanum invenies virum tuum. » Illa vero abiens in domum suam, sicut audierat, sic invenit. Abbas vero consolans pusillanimitatem cellarii sui, ad sustinendum Domium de cætero reddidit fortiorem. Nec tantum semel hoc ei contigisse certum est, sed sæpe, cum hujusmodi necessitas instaret, repente, unde non sperabatur, auxilium ei a Domino adfuisse. Propter quod viri

(19) Gall. Vesce.

prudentes **1074** intelligentes manum Domini esse cum eo, teneritudinem mentis ejus a deliciis paradisi nuper egressi rerum exteriorum sollicitudine gravare cavebant, eas ipsi intra semetipsos, ut poterant, digerentes, tantummodo de interioribus conscientiis suis, et causa animarum suarum eum consulentes.

28. In quo tamen pene hoc eis contigit, quod filiis Israel legimus olim de Moyse contigisse, cum diu conversatus cum Domino in monte Sina, et de caligine nubis egredere et descenderet ad populum, ex colloquio Domini facies ejus cornuta appareret et terribilis, adeo ut fugeret populus ab eo (*Exod. xxxiv, 29-35*). Egressus enim Vir sanctus a facie Domini, qua in solitudine Cistercii, et sublimioris altitudine contemplationis in silentio aliquandiu frui erat, quasi de caelo afferens inter homines miraculum quoddam conquestae sibi apud Deum plus quam humanae puritatis, homines quos regere, et inter quos conversari veniebat, pene omnes a se absterruit. Si quando namque de spiritualibus et aedificatione animarum sermonem ad eos habebat, loquebatur hominibus lingua Angelorum, et vix intelligebatur. Maxime autem in his quae ad mores hominum pertinebant, ex abundantia cordis sui tam sublimia eis proponebat, tam perfecta exigebat ab eis, ut durus videretur sermo; in tantum non capiebant quae dicebantur. Rursum, cum singillatim eos audiret confitentes sibi, et semetipsos accusantes super diversis illusionibus cogitationum communium humanarum, quas nullus in carne vivens homo penitus vitare potest; hoc potissimum fuit, in quo luci illi ad tenebras illas conventio esse non potuit: scilicet quod homines inveniebant, quos in hac parte Angelos aestimabat. Angelicam enim magna ex parte degustans puritatem, et ex conscientia jam olim acceptae a Deo gratiae singularis, simpliciter praedudicans universae conditioni humanae fragilitatis in tentationes seu inquisitiones cogitationum harum nullum Religiosum posse incidere; vel si incideret, vere religiosum non esse aestimabat.

29. Sed viri vere religiosi, et pie prudentes, et in praedicatione sermonum ejus venerabantur etiam quae non capiebant, et in confessionibus suis, licet ad novum stupere audirent, eo quod seminarium quoddam desperationis praefere videretur infirmis: tamen juxta sententiam sancti Job, nefas putabant contradicere sermonibus Sancti (*Job. vi, 10*), non excusantes, sed accusantes infirmitatem suam in conspectu Hominis Dei, in quo nemo vivens justificari potest in conspectu Dei. Unde factum est ut fieret magistra magistri pia humilitas discipulorum, Cum enim ad nutum arguentis humiliarentur qui arguebantur, cepit etiam spirituali magistro adversus fratres humiles et subjectos zelus suus esse suspectus, in tantum ut ipse jam potius accusaret igno-

(19) De eo in Necrologio S. Benigni: « III idus aprilis obiit Tecelinus monachus, pater domni Ber-

rantiam suam, et deferret necessitatem, quod silere non liceret, cum nesciret loqui: quod non tam alta ad homines, quam indigna hominibus loquendo laederet conscientias auditorum: quod tam scrupulose perfectionem a fratribus simplicibus exigebat, in quo se nondum inveniret ipse perfectum. Cogitabat namque eos multo meliora et viciniora salutis suae in silentio suo meditari, quam ab ipso audirent: devotius et efficacius salutem suam operari, quam ex ejus exemplo acciperent: ex praedicatione vero ejus scandalizari potius quam aliquid concipere aedificationis. Cumque super hoc vehementius turbaretur et contristaretur, et diversae cogitationes ascenderent in cor ejus, post multos cogitationum flexus et cruciatu cordis, decrevit ab exterioribus omnibus ad interiora sua recolligere se, ibique in solitudine cordis et secreto silentii continere, et praestolari Dominum, donec quocumque modo misericordiae suae super hoc ei suam revelaret voluntatem. Nec tardavit misericordia Dei auxilium in tempore opportuno. Paucis siquidem evolutis diebus, vidit in visu noctis puerum charitate quadam divina astantem sibi, et magna auctoritate praecipientem fiducialiter loqui quicquid ei suggereretur in apertione oris sui; quoniam non ipse esset qui loqueretur, sed Spiritus qui loqueretur in eo. Et extunc manifestius in **1075** eo et per eum loquens Spiritus sanctus, et sermonem ei potentiorum et sensum in Scripturis abundantius suggerens in apertione oris ejus, apud auditores quoque ei gratiam addidit et auctoritatem, et intellectum super egenum et pauperem, peccatorem poenitentem, et veniam postulantem.

30. Cumque jam aliquatenus didicisset inter homines conversari, et humana agere et tolerare, jamque inter fratres suos et cum eis inciperet frui fructibus conversionis suae, pater quoque, qui solus domi remanserat, veniens ad filios suos, appositus est ad eos: qui cum aliquantum tempus ibi fecisset, obiit in senectute bona (19). Soror quoque eorum in saeculo nupta (20), et saeculo dedita, cum in divitiis saeculi periclitaretur, tandem aliquando inspiravit ei Deus ut fratres suos visitaret. Cumque venisset quasi visura venerabilem fratrem suum, et adesset cum comitatu superbo et apparatu, ille detestans et execrans eam tanquam rete diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquievit exire ad videndum eam. Quod audiens illa, confusa, et compuncta vehementer, cum ei nullus fratrum suorum occurrere dignaretur, cum a fratre suo Andrea, quem ad portam invenerat monasterii, ob vestium apparatus stercus involutum argueretur, tota in lacrymas resoluta: « Et si peccatrix sum, » inquit, « pro talibus Christus mortuus est. Quia enim peccatrix sum, ideo consilium et colloquium honorum requiro. Et si despiciat frater meus carnem meam, ne despiciat servus Dei animam meam. Veniat, praecipiat: quidquid praeeperit, facere parata sum. »

nardi abbatis Clarae-Vallis. »

(20) Humbelina.

Hanc ergo promissionem tenens, exiit ad eam cum fratribus suis frater ejus. Et quia eam separare a viro non poterat, primo verbo omnem ei mundi gloriam in cultu vestium, et in omnibus saeculi pompis et curiositatibus interdixit; formam vitae matris suae, in qua multo tempore vixit cum viro, ei indixit, et sic eam a se dimisit. Illa vero obedientissime parens praeepto, rediit ad propria, mutata repente secundum omnipotentiam dexteram Excelsi. Stupebant omnes adolescentulam nobilem, delicatam, subita mutatione in habitu et victu, in medio saeculi vitam ducere eremiticam: instare vigiliis et jejuniis, et continuis orationibus, et ab omni saeculo prorsus se facere alienam. Biennio postea sic vixit cum viro suo, illo sane, secundo maxime anno, dante Deo honorem, nec temerare ulterius praesumentem templum Spiritus sancti. Qui etiam tandem virtute ejus perseverantiae victus, liberamque a se dimittens, juxta ritum Ecclesiae, facultatem ei concessit serviendi Deo cui se probavit. Illa vero optata libertate potita, monasterium Julleium (20) adiens, cum sanctimonialibus inibi Deo servantibus reliquum vitae suae Deo vovit: ubi tantam ei Dominus gratiam contulit sanctitatis, ut non minus animo quam carne illorum probaretur virorum Dei esse germana.

#### CAPUT VII.

*De ordinatione sancti Bernardi in abbatem, deque cura valetudinis ejus; item de laude disciplinae religiosae jam tum in Clara-Valle vigentis.*

31. Cum autem missus noviter Claram-Vallem Bernardus, ordinandus esset in ministerium ad quod assumptus erat, et sedes Lingonensis vacaret, ad quam ordinatio ipsa respiciebat, quaerentibus fratribus quo eum ducerent ordinandum, cito de proximo se obtulit bona fama venerabilis Catalaunensis episcopi, opinatissimi illius magistri Guillelmi de Campellis, illucque eum transmittendum esse definitum est. Sicque factum est. Abiit autem Catalaunum, assumpto secum Elboldone monacho quodam Cisterciensi. Intravit ergo praedicti episcopi domum juvenis exesi corporis et moribundi, habitu quoque despicabilis, subsequente monacho seniore, et magnitudine et robore corporis eleganti, aliis ridentibus, aliis iridentibus, aliis rem, sicut erat, interpretando venerantibus. Cum autem quaereretur quis eorum esset abbas, Episcopus primus oculos in **1076** eum apertos habens, agnovit servum Dei, et suscepit eum sicut servus Dei. Cum enim primo in privato colloquio omni melius locutione prudentiam juvenis magis magisque proderet verecundia loquendi, intellexit vir sapiens divinam visitationem in adventu hospitis sui. Nec defuit hospitalitatis pia instantia, donec usque ad familiarem fiduciam et libertatem loquendi producto colloquio ad alterutrum, jam melius eum commendaret conscientia sua quam verba. Quid

(20\*) Gallice *Jully*, de quo supra not. 18\*.

multa? Ex illa die et ex illa hora facti sunt co unum et anima una in Domino, in tantum ut saepe alter alterum hospitem deinceps haberet, et propria esset domus Episcopi Clarae-Vallis; Clarae-Vallensium vero efficeretur non sola domus Episcopi, sed et per ipsum tota civitas Catalaunensis. Quinetiam et Remensis provincia, et Gallia tota per eum in devotionem excitata est ad reverentiam Viri Dei. Ab illo siquidem tanto episcopo caeteri didicerunt suscipere eum, et revereri tanquam angelum Dei, ita ut hujus temporis praesens in eo gratiam videatur homo tantae auctoritatis, sic affectus erga ignotum monachum et monachum tantae humilitatis.

32. Modico vero post tempore transacto, cum eousque infirmitas Abbatis ingravesceret, ut jam non nisi mors ejus, aut omni morte gravior vita speraretur, ab Episcopo visitatus est. Cumque viso eo Episcopus se non solum vitae ejus, sed et sanitatis spem habere diceret, si consilio ejus acquiescens, secundum infirmitatis suae modum aliquam corpori suo curam pateretur impendi, ille vero a rigore vel usu consuetudinis suae minus facile flecti posset, profectus Episcopus ad capitulum Cisterciense, ibi coram pauculis abbatibus qui convenerant, pontificali humilitate, et sacerdotali charitate, toto corpore in terram prostratus, petiit et obtinuit ut tantum anno uno in obedientiam sibi traderetur. Quid enim tantae humilitati in tanta posset auctoritate negari? Reversus itaque Claram-Vallem, extra claustra et terminos monasterii domunculam unam ei fieri praecipit; ordinans et mandans in cibo vel potu, sive in aliquo ejusmodi circa eum nullam ibi teneri Ordinis districtiorem; nullam de tota cura domus ad eum referri sollicitudinem, sed sibi [al. sibi] eum vivere secundum modum ab eo praestitutum.

33. Eodem tempore et ego Claram-Vallem, ipsumque frequentare cepi: quem cum ibi cum quodam abbate altero visitarem, inveni eum in suo illo tugurio, quale leprosis in compitiis publicis fieri solet. Inveni autem ex praeepto, ut dictum est, Episcopi et Abbatum feriatum ab omni sollicitudine domus, tam interiori quam exteriori, vacantem Deo et sibi, et quasi in deliciis paradisi exultantem. Ingressusque regium illud cubiculum, cum considerarem habitationem et habitatorem, tantam mihi, Deum testor, domus ipsa incutiebat reverentiam sui, ac si ingrederer ad altare Dei. Tantaque affectus sum suavitate circa hominem illum, tantoque desiderio in paupertate illa et simplicitate cohabitandi ei, ut si optio illa die mihi data fuisset, nil tam optassem quam ibi cum eo semper manere ad serviendum ei. Cumque et ipse vicissim nos cum gaudio suscepisset, et quaereremus quid ageret, quomodo ibi viveret, modo illo suo generoso arridens nobis: « Optime, » inquit, « Ego cui hactenus homines rationabiles obediebant, justo Dei judicio irrationali cuidam bestiae datus sum ad obediendum. » Dicebat autem de quodam